



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

54. Inuestitura Vincentij Abbatis S. Maximini facta ab Archiepiscopo Treuirensi nomine & mandato Cæsaris, & Imperij, Anno MDXIV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

*Inuestitura Vincentij Abbatis S. Maximini facta ab Archiepiscopo Treuirensi, nomine & mandato Cæsaris & Imperij, Anno MDXIV.*

**V**INCENTIUS Abbas Monasterij Sancti Maximini, extra muros Ciuitatis Treuirensis Ordinis S. Benedicti, vniuersis & singulis præsentibus & futuris notum facimus: Quod à Venerando in Christo Patre & Domino nostro, Domino Richardo Archiepiscopo Treuiren. Sacri Rom. Imperii per Galliam & Regnum Arelatense Archicancellario, ac Principe Electore Illustrissimo, Regalia, temporalia & feuda quæcunque à dicto Sacro Imperio dependentia, nomine & autoritate Serenissimi Domini & inuictissimi Principis Domini nostri Maximiliani Romanorum Imperatoris semper Augusti, agnouimus, recepimus, iurauimus, & cætera fecimus cum cæremoniis & solennitatibus debitis & consuetis, vt in eiusdem Domini nostri Reuerendissimi litteris sub inferis nobis desuper traditis, plenius continetur, vt etiam Antecessores nostri fecerunt, & nos, & Successores nostri Abbates Monasterii Sancti Maximini à sæpe fato Reuerendissimo Domino nostro, eiusque Successoribus Archiepiscopis et Ecclesiæ Treuiren. quoties iure aut consuetudine opus fuerit, ea agnoscere, recipere, iurare, et cætera facere debemus; omnibus, Morâ, contradictione et exceptione postpositis, Tenor verò iam memoratarum Reuerendissimi Domini nostri Treuiren. nobis desuper traditarum litterarum sequitur talis:

**R**ichardus Dei gratia Sanctæ Treuitorum Ecclesiæ Archiepiscopus, Sacri Romani Imperii per Galliam et Regnum Arelatense Archicancellarius, ac Princeps Elector, ad futuram rei memoriam vniuersis et singulis præsentibus et futuris notum facimus; Quia inuictissimus Princeps Romanorum Imperator semper Augustus, Dominus noster, vt scilicet Treuitorum Archiepiscopi pro tempore Abbatibus Monasterii Sancti Maximini extra muros Ciuitatis nostræ Treuiren. Ordinis Sancti Benedicti Regalia, temporalia et feuda quæcunque sui Monasterii concedere, deque iisdem Abbates ipsos infeudare et inuestire Imperatoris, siue Regis nomine et autoritate valeant, perpetuò indulsit, vt in Regiis litteris claret: huiusmodi Regiarum litterarum vigore comparuit coram nobis in propriâ personâ Venerabilis et Religiosus nobis in Christo deuotus, dilectusque Vincentius, modernus Abbas supra memorati Monasterii Sancti Maximini (quod insigne Sacri Rom. Imperii membrum existit) humilis et instans petit, quatenus sibi Regalia, temporalia et feuda Monasterii sui, quæ ab eodem Sacro Imperio, sui Prædecessores Abbates antehac habuissent et tenuissent, habereque et tenere debuissent, concedere, ipsumque de eisdem infeudare et inuestire dignemur; Nos itaque, recepto prius ab eodem Vincentio Abbate, et nobis præstito fidelitatis, subiectionis et obedientiæ iuramento debito et consueto, Imperatoris, nomine et auctoritate supra memoratis, eidem Abbati Regalia, Temporalia et feuda huiusmodi concessimus, ipsumque de eisdem infeudauimus, et inuestiuimus, et concedimus, et infeudamus, et inuestimus, per præsentem decernentes eisdem nomine et au-

thoritate, quod sãp̄fatus Abbas in omnibus & singulis suis & Monasterij sui Oppidis, Suburbis, Vicis, Pagis, Castris, Castellis, Curis, Villis, Dominiis, Territoriis, & districtibus, etiam fluminibus & ripis, ac locis aliis, quã ipse Abbas diuisim aut communiter habet & possidet, seu habere & possidere deberet, Regalia, temporalia & feuda huiusmodi cum suis honoribus, præminentis, libertatibus, priuilegiis, prærogatiuis, iuribus, consuetudinibus, obseruantis, pertinentis & attinentis quibuscunque & qualibuscunque, meroque & mixto Imperio ac exercitio Iurisdictionis temporalis, habere & exercere, illisque vti valeat, quemadmodum sui Prædecessores Abbates habuerunt & exercuerunt, illisque vti sunt, seu habere, exercere, & vti quomodolibet potuerunt & debuerunt, Mandantes propterea nomine & auctoritate sãpedictis, vniuersis & singulis Vasallis & fidelibus, Comitibus, Baronibus, militibus, Nobilibus, Equitibus & ministerialibus, Gubernatoribus & Rectoribus, Burggrauis, Schultetis, Maioribus, Præpositis, Iusticiariis, Centurionibus, Aduocatis seu Officialibus, Ciuibus, Oppidanis, Suburbanis, Colonis, Curtariis ac Subditis quibuscunque sãpedicti Monasterii, cuiuscunque dignitatis, gradus, Status seu Conditionis existant, Quatenus præfato Vincentio Abbati, tanquam vero, naturali, Recto, Ordinario & legitimo Domino suo in omnibus & singulis Regalia, temporalia & feuda huiusmodi, merumque ac mixtum Imperia ac temporalis Iurisdictionis exercitium, seu alia præmissa quomodolibet concernentibus, debire & reuenter obediant & pareant in omnibus, Contradictione, difficultate & impedimento planè postpositis, Iure tamen Imperii & aliorum alias, & Ecclesię nostrę semper saluo, in quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præsentis nostras litteras exinde fieri, nostrique Sigilli iussimus appensione communiti. Datum in Ciuitate nostra Treuirensi decima octaua die mensis Ianuarii, Anno Domini 1514. iuxta morem scribendi in Ciuitate & Dicecesi nostris Treuirensi. Et Nos Vincentius Abbas Monasterii Sancti Maximini prædictus in fidem & testimonium præmissorum Sigillum nostrum præsentibus appendi fecimus. Datum Anno Domini & die supradictis.

55.

*Inuestitura Ioannis Abbatis S. Maximini facta ab Archiepiscopo Treuirensi, nomine & mandato Cesaris & Imperij, Anno MDXXV I. cum adiuncto mandato ad Vasallos Abbatie S. Maximini.*

**R**ICHARDVS DEI gratia sanctę Treuirensis Ecclesię Archiepiscopus, Saceri Romani Imperii per Galliam et Regnum Arelatense Archicancellarius ac Princeps Elector, ad futuram rei memoriam, Vniuersis & singulis præsentibus & futuris notum facimus, Quia Serenissimus & Inuictissimus Princeps ac Dominus, Dominus Carolus Quintus Romanorum Imperator semper Augustus, Dñs noster gratiosissimus, nuper nobis & Successoribus nostris, vt scilicet Treuitorum Archiepisc. pro tempore Abbati Monasterij Sancti Maximini extra muros Ciuitatis nostrę Treuirensi. Ordinis Sancti Benedicti, Regalia, temporalia & feuda quęcunque sui Monasterii concedere, deque eisdem Abbates ipsos infeudare & inuestire Imperatoris seu Regis nomine & auctori-

tate